

partes nostras tutatur. Mitto tibi Expositionem nostram de testamento dei unico et æterno, adversus multas hæreses^{c)} hodie emergentes scriptam. Vive et vale semper nostri memor; totus enim tuus sum. Tiguri, 27. Augusti 1534.

Heinricus Bullingerus tuus.

Clarissimo viro D. Ioachimo Vadiano, amico longe integerrimo.

a) „cæna“. — b) desyd.“. — c) „her.“.

l) Vgl. oben, Brief 730.

III 220.

787.

Georg Binder¹⁾ an Vadian.

Zürich. 1534. August 27.

Christoph (Froschauer) ist des angefangenen Werkes überdrüssig, zumal die Rede gehe, dass Apianus die Tafeln des Ptolemæus herausgeben werde. Er verspricht, inzwischen die Karte von Helvetien bereit zu halten.

Christophorum nostrum, Vadiane dulcissime, iam instituti operis penitet, territum^{a)}, ut puto, longi temporis sumptu et labore, quo nobis omnino opus esset tot tabulis non affabre modo et eleganter, ut ais, sed et recte emendateque depingendis — iam enim plus quam tres septimanas in excindendo^{b)} universali typo σχηματογλυφεύς sedulo insudavit —; tum etiam quod Apianum aiunt Ptolomei tabulas emendatiores editurum. Quod utinam tam recte fiat, quam est periculosum! Vereor enim, nova illa facies terrarum veteri descriptioni non conveniat et Ptolomeum emendando prorsus amittamus. Malo tamen Apiani in hac re industriam quam Munsteri, qui et ipse coram nobis olim Ptolomeo, si diis placet, Thrasonice minitabatur. Ceterum^{c)} illis nundinis rem certius cognoscemus. Interim tabulam Helvetiæ nostræ, ut cupis, summa, qua possum, locorum observatione vobis et Musis exarabo, ut præsto siet, si eius usus expostuletur etc. Interim etiam valeant, qui Helvetiæ malevolunt. Tot errata in opere tuo prorsus etiam errare me faciunt, quo errore commissa sint, nisi amanuensis tuus in causa est, in cuius etiam Vadianico Phaetio versus integer^{d)} omissus^{e)} erat, quem postea inter coria, ut puto, repertum ad nos transmisit non fidus custos Musarum. Tu bene vale et operam nostram boni consule, usurus ea quoties voles liberalissime ac promptissime^{f)}. Dominicum adhortare, ut matrem indigentem veneretur etc. Tiguri, 27. Augusti 1534.

Binderus tuus.

Typus noster geographicus hodie hora 12. prelo subiicietur; alias eum ad te misissem.

Præstantissimo viro D. Ioachimo Vadiano etc. suo.

a) Aus „territus“ corrigiert? — b) „exc.“. — c) „Cæt.“. — d) „interger“. — e) „omm.“. — f) „prompt.“.

l) Vgl. II, Brief 129.

788.

III 223.

Konrad Pellican¹⁾ an Vadian.

Zürich. 1534. September 1.

Er berichtet, dass er auf Wunsch des Druckers zu dem geographischen Werke Vadians (der Epitome) ein einlässlicheres Register ausgearbeitet habe. Fortsetzung seiner Commentarien.

S. Cum cernerem institutum tuum, doctissime vir, in assignato indice solum ad sacra inveniendâ, ego vero multa præter hæc millia annotatu dignissima contineri in opere illustrissimo, desideravi quidem fusio-rem; sed nihil tentassem, nisi chalcographus admodum importuna prece me convenisset ad locupletio-rem indicem, cupiens vel tantisper codicem spissio-rem et lucro fortassis suo aptio-rem. Indulsi itaque tridui laborem, alia intermittens, quæ erant in manibus, et quod vides inventarium collegi longe brevius, quam potuissem; brevitati enim studii propter tempus, quod pro uno tantum imprimendo in maius volumen vix sufficiebat. Alicubi neglectius inveni-ens, quam sit placitum, sed id sine tuo dedecore; nam chalcographi ob id nomen prætul^{a)}, ne tibi quippiam ineruditum imputaretur in opere eruditissimo omniumque utilissimo studiosis, quod quidem pro brevitate sua sine indice studiosis profuisset. Sed memoria deficientibus vetulis nobis et non raro obiter legere quædam cupientibus inutilis non erit, et ne quis geographiam tantum in opere tractatam putet et sacra. Oro itaque, boni consulas studium, quod bibliopolæ gratificaturus adieci. Mira brevitate temporis ingens opus explevi solus. Pro honorifica nominis mei memoria, quod super meritum extulisti, gratiam habere fortassis non debeo, quando vel id unicum est, quod affectui dederis magis quam iudicio. Studium meum pium est et fuit; sed diligentia nimis indigna tanto operi, eruditio autem lectoribus doctis indigna, nisi quod ruralibus tantum et linguarum imperitis et egenis^{b)} mea descripsi, quibus et adhuc sudo, nunc Ecclesiasticum explanans post Tobiam, Iudith, Baruch, Sapientię libros, cum dei gratia iam absolutos, si chalcographo et censoribus placuerit prioribus adiungendos. Vale semper